

29031/P

39

DE

GASTROBROSI

imprimis de ea forma, quae ulceribus
provocatur.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANATOMICO - PATHOLOGICA;

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERAR. GRYPHICA,

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OB-

STETRICIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX MENS. DECEMBR. A. MDCCCXL

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

A U C T O R

JOH. BERNARDUS HÖLKER,

GUESTPHALO - TELGETANUS.

OPPONENTIBUS:

JOS. PHILIPS, MED. ET CHIR. DR.

ARM. WEDDERN, MED. ET CHIR. DRD.

C. BRUNSWIG, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIÆ,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Si quae desunt, — desunt vero multa; — id supleantur
aetas, et si quae sunt dicta iuveniliter, pro indeole accipientur.

QUINTILIANUS.



F R A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

CAROLO JOSEPHO HÖLKER,

GYMNASII MONASTERIENSIS PRAECEPTORI

ET

PRIMAE CLASSIS SCHOLAE LATINAЕ AD ST. AEGIDIUM

MODERATORI,

NEC NON

A V U N C U L O

J O S E P H O H U R C K,

FABRICATORI IN PATRIA LANARIO,

OPTIME DE ME MERITIS

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

PIO GRATIQUE ANIMO

D. D. D.

A E C T O R.

Proēmium.

Suscipiens hoc opusculum, ut legibus
almae huius Universitatis satisfaciam,
non possum, quin aliqua verba de the-
mate electo praemittam. Deliberanti
in hi, quodnam eligere dissertationis
argumentum, ill. *Schultze*, praeceptor
meus aestumatissimus, pro humanitate
sua, qua omnes excipere solet disci-
pulos, inter alia de gastrobrosi quo-
que thema proposuit, quod eo libentius
amplexus sum, quum inter duos annos,
quos hic versabar, in nonnullis sectio-
nibus perforatio ventriculi sit inventa,
quod vero etiam, dum hoc opusculum
elaborabam, evenit, quem casum infra

adnexi. Quod argumentum ipsum attinet, haud facile est, libellum conscribere de materia, in qua sententiae praestantissimorum virorum sibi sunt oppositae. Quas difficultates si superare contigerit, eidem praceptor, ill. *Schultze*, qui non solum in pralectione de anatomia pathologica formas propositas distinxit; sed etiam in elaborando opusculo ipso consilio suo me adiuvit, gratias habeo.

Noli putare, L. B. me iis Professoribus Ill. aequiparandum me opinari, qui de hac materia scripserunt. Te igitur, L.B. oro rogoque, ut, si quid levius tractatum invenias, opusculum clementer accipias.

L i t e r a t u r a.

Libri, quos in usum vocavi, hi sunt.

Morgagni, De sedibus et causis morborum. Venet.
1762.

Voigtel, Handbuch der pathologischen Anatomie. 2ter
Band. Halle 1804.

Dictionnaire des sciences medicales, T. quarantième. Pa-
ris 1819.

Rhades, 3 Fälle von Magenerweichung bei Kindern.
Horn's Archiv. Jahrg. 1822. b.

Wilson Philip, Ueber Indigestion und deren Folgen.
Aus dem Englischen bearbeitet von Moritz Hasper.
Leipzig 1823.

Richter, Ueber die aus innern Ursachen entstehende
Durchlöcherungen des Magens. Horn's Archiv.
Jahrg. 1824. b.

Louis, Anatomisch-pathologische Untersuchungen. Aus
d. Franz. von Dr. Gustav Bünger. Berlin 1827.

Hesse, Ueber die Erweichung der Gewebe und Or-
gane des menschlichen Körpers. Leipzig 1827.

Camerer, Ueber die Natur der krankhaften Magen-
Erweichung. Stuttgart 1828.

Réné Prus, Neue Untersuchung über die Natur und
Behandlung des Magenkrebses. Aus d. Franz. v.
Dr. Balling. Würzburg 1829.

Zartmann, Dissert, de perforatione ventriculi e cau-
sis internis seu spontanea. Berlin 1829.

- Lesser, Die Entzündung und Verschwärung der Schleimhaut des Darmkanals. Berlin 1830.
- Otto, Lehrbuch der patholog. Anatomie der Menschen und Thiere. Berlin 1830.
- Abercrombie, Patholog. und praktische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens u. s.w. A. d. Engl. von Gerhard v. dem Busch. Bremen 1830.
- Albers, Die Darmgeschwüre. Leipzig 1831.
- Cruveilhier, Anatomie pathologique du corps humain. Livraison X. et XX. Paris 1829 — 1835.
- Arweiler, Dissert. de intestinorum tractus ventriculi que ulceribus. Berlin 1831.
- Bette, Dissert, de perforatione ventriculi eiusque varietate speciali. Coloniae 1822.
- Billard, Die Schleimhaut des Magens- und Darmkanaals u. s. w. A. d. Franz. v. Urban. Leipzig 1833.
- Encyclopädisches Wörterbuch der med. Wissenschaften. Herausgegeben von d. Professoren der med. Facultät zu Berlin. Art. Darmgeschwüre, Durchlöcherung des Nahrungskanals und Gastrobrosis. Berlin 1833 und 35.
- Naumann, Handbuch d. med. Clinik. Berlin 1834.
- Winter, Abhandlung über die Magenerweichung. Preisschrift. Lüneburg 1834.
- Beckhaus, Dissert. de Gastromalacia infantum. Berl. 1834.
- Hope's Grundzüge der pathologischen Anatomie. Aus d. Engl. von Dr. Krüger. Berlin 1836.

Vox Gastrobrosis ex graeca lingua originem dicit a verbo γαστήρ, ventriculus, et βρώσκω seu βιβρώσκω,edo, rodo.

Gastrobrosis spontanea est igitur illa ventriculi perforatio, quae causis in ipsis ventriculi partibus consitis provocatur; quamobrem perforationem excipimus, quae veneno adducitur.

Exempla perforationis ventriculi in scriptis veterum autorum non raro quidem, sed differentias ejus originesque haud clare descripta invenimus. Qui autem sint hi casus, Gérard in dissertatione, quam inscripsit: „Des perforations spontanées de l'estomac,” à Paris an X, collegit¹⁾). Inde ab eo tempore viri excellentissimi huic rei operam navrunt, quorum scripta antea citavi.

Differentiae.

Causas gasteroseos spontaneæ diversissimas esse posse, nemo est, qui dubitet; atque hae causæ

1) Bette, Dissert. de perforatione ventriculi etc. Bonnae 1832.

diversae procreant pervarias perforationes, quarum praeccipuas tantum enumerabo.

*Morgagni*²⁾ aut omnia aut certe plurima ventriculi foramina ex ulceribus oriri putat. *Gérard*³⁾ perforationem originem ducere ex gangraena aut ex ulceratione aut ex abscessibus censet. *Alibert*⁴⁾ duo tantuummodo distinxit genera, gastrobrosin spontaneam et venenatam. *Laisné*⁵⁾ omnes ventriculi perforationes derivat ex destructione scirrhosa aut suppuratione, maxime autem ex morbosa erosione. *Richter*⁶⁾ perhibet quatuor tantum adesse perforationis ventriculi spontaneae causas scilicet gangrenam localem, scirrhum, ulcerationem acutam et chronicam atque gelatinosam membranarum mollitiem. *Becker*⁷⁾ duo distinxit perforationis genera, gastrobrosin per accidens et gastrobrosin spontaneam, quam compleeti dicit gangraenosam, ulcerosam, scirrhosam et carcinomatosam, perforationem ex membranis ventriculi tenuatis exortam, ex membranarum mollitic, ex ácido quodam caustico, quod quasi verum organicum septicum in corpore ipso exortum chemica ratione ventriculi membranas destruit.

Ut eo melius intelligantur perforationis spontaneae

2) l. c. XXIX.

3) l. c.

4) Encyclopädisches Wörterbuch der medicid. Wissenschaften von Berliner Aerzten. Artikel gastrobrosis, pag. 436.

5) Richter l. c. pag. 217.

6) eod. l. pag. 6.

7) Bette, l. c. pag. 6. Confer. Encyclopäd. Wörterbuch, Bd. XIII. pag. 436.

neae differentiae, quas in elaborando hoc opusculo distingui placuit, proponere eas licet.

Gastrobrosis spontanea continet:

1. gastrobrosin ex gastromalacia.
2. gastrobrosin gangraenosam.
3. gastrobrosin ex ulceribus.
 - a) ex ulcere simplici.
 - b) ex ulcere scrophuloso.
 - c) ex ulcere carcinomatoso.

Ad I. Gastrobrosis ex gastromalacia.

Gastromalaciam perforationis ventriculi spontaneae causam omnino frequenter inveniri, satis constat. Quum vero autorum celeberrimorum sententiis tam multum saepeque comparatis multa in hac re adhuc usque sint obscura, credo, me nimis a fine removeri, si opiniones comparare atque fusius de natura huius morbi disserere velim. Ab aliis aliud nomen huic morbo tributum est: perforatio ventriculi spontanea, gastrobrosis, diabrosis ventriculi (*Harless*) degeneratio ventriculi pulposa seu gelatinosa, deliquium ventriculi paraliticum, resolutio ventriculi autopeptica, gastropathia (*Ramisch*) pseudophlogosis ventriculi colliquativa⁸); morbus ventriculum infantum perforans; ramollissement de l'estomac; mollifying of the stomach; amollamento di stomaco.

Gravissimum fuit, sententiam a *John Hunter*, *Alphonse Leroy*, *Allan Burns*, *Wilson Philip*, *Adams* aliisque propositam refutare et demonstrare, gastro-

8) Naumann, l. c. pag. 272.

malaciam singularem esse m̄rbum, quod recentes autores optime illustravere, quamvis causam hujus morbi proximam omnino diversam exhibentes. *Louis*⁹), *Lallemand*, *Andral*¹⁰), *Hutin*, *Richter*¹¹), *Billard*¹¹), *Lesser*¹²) aliique effectum inflammationis ducunt. *Winter*¹³) opinionem a *Harless* et *Hesse* propositam sequens gastromalaciam ex succorum cachexia et atonia partium solidarum deducendam censem, in quibus natura medicatrix ad removendum hunc morbum reationes salubres provocet, quae formam congestionis, erethismi et inflammationis induentes tunicas ventriculi deuteropathice in statum molitiei reddant.

Qualemcumque causam gastromalacieae proximam statuamus, id quidem constat, eam gravissimis formationis morbosaे generibus esse adnumerandam, quae quamlibet ventriculi partem corripere potest, tunc etiam quam clarissime eluet, hunc morbam praeceps aetati infantili esse proprium; quamvis *Andral* aliique sententiam omniō contrariam exhibeant. *Andral*¹⁴), ut ipsius verba adhibeam, dicit: „Die Erweichung dēr Schleimhaut des Magens scheint mir ein Uebel zu sein, welches häufig bei alten Leuten vorkommt, deren Verdauung gestört zu werden anfängt, nachdem sie sich bis dahin in einem sehr guten Gesundheitszustande befunden haben.“ — Etiam *Chaussier*

9) lib. cit.

10) lib. cit.

11) lib. cit.

12) lib. cit.

13) lib. cit. pag. 47.

14) J. c. pag. 218.

compluries in puerperis hunc morbum invenit¹⁵⁾). M. I. professeur *Chaussier* a fréquemment rencontré des perforations de l'estomac sur des enfans nouveau-nés et sur des femmes mortes dans le travail de l'accouchement ou peu de temps après.

Facilius autem ipsius ventriculi tunicam mucosam hoc morbo corripi, sponte appareat nobis resipientibus, eam permultis rebus nocentibus esse obnoxiam. Non solum immediatus ciborum tunicam mucosam irritantium tactus, quo abnormis nervorum perversitas et abnormis succi gastrici secretio consequantur oportet, praedisponit ad hunc morbum; sed etiam, quod materia, quae serviat nutriendo et formando, aegrotat, et aliena hoc modo sanguini immiscentur, quae eo maiorem vim in eas partes, quae imprimis agunt in processum vitalem et maxime pertantur, exercent, quum infanti a matre morbo venereo, vel arthritide vel phthisi vel alia dyscrasia vel cachexia laborante succi depravati impertiti sint.

Jam vero, quod attinet ad perforationes hac causa exortas, quomodo foramen exoriatur, pervariae sunt et inter se discrepantes autorum sententiae. *Paul de Wind*¹⁶⁾ tunicas ventriculi inflammatas vel insolita extenuatione vel aëris extensione rumpi opinatur; causam vero huius aëris extensionis et ventriculi inflammationis utrum venenum sit, an succi

15) Dictionnaire des sciences medicales. Artikel: Perforation, pag. 328.

16) Beckhaus, lib. cit. pag. 40.

depravati, in dubio esse relinquendum censet. *Sandifortii*¹⁷⁾ haec est sententia, tunicas extensione ita attenuari, ut tandem discindantur. *Richter*¹⁸⁾ autem substantia tunicarum ventriculi emollita ac omni forma destituta, per vasa absorbentia resorpta, perforationem peritonaei vehementi conquassatione inter vomitum morti praecedentem saepenumero consequi arbitratur.

Quod sedem laesione attinet, plerumque fundus est et quidem ea pars, cui splen adjacet. *Cruveilhier*¹⁹⁾, *Zeller*²⁰⁾, *Winter*²¹⁾ aliique aliam causam proferunt, cur ipse fundus plerumque correptus inveniatur. Attamen perforationes etiam in anteriore et posteriore ventriculi pariete, in pyloro et cardia cernimus. Destructio plerumque planitatem complarium pollicum occupat, quin etiam ad maiorem huius organi partem propagatur, aut plura foramina inveniuntur, inter quae singuli tunicarum pontes relict i sunt. Num semper inflammationis signa conspiciantur, adhuc dubitatur. *Jäger*²²⁾ ambitum foraminis rubrum, saepe strias e rubro-pallentes invenit. *Cruveilhier*²³⁾ vasa propinqua colore subnigro conspexit. *Jörg*²⁴⁾ in hoc perforationis genere margines foraminis scirrhosos, duros,

17) cod. l. pag. 41.

18) Richter l. c. pag. 238.

19) cod. l. 20) eod. l. 21) l. c. § 60.

22) Hufeland's Journal, Bd. 36. Vide Beckhaus. l. c. p. 18.

23) cod. l. p. 18.

24) eod. l. p. 18.

humidos et plane albos semperque inflammationis et coloris vasorum rubri signa se invenisse ait. Odor vero putridus a *Krieg*²⁵⁾ tantummodo est animadversus. Si *Ramisch*²⁶⁾ audimus, in stadio tertio conditio tunicarum tam mollis est, ut dissolutae fere diffluant et perforatio exoriatur. In abdomine cibi, potus et plerumque materia mucosa, lubrica, viscida, subviridis vel fusci coloris inveniuntur. Saepenumero etiam mollities in aliis organis propinquis cernitur. *Jaeger*²⁷⁾ colon adscendens et descendens in gelatinam dissolutum conspexit, et *Burns*²⁸⁾ totum tractum alimentarium a cardia usque ad rectum in massam mucosam, gelatinosam, pellucidam mutatum. Interim etiam oesophagus, diaphragma, pulmones et obtegumenta abdominis mollitie correpta reperiuntur. Splen etiam interdum molitus est, interdum ea quoque hepatis pars, quae ventriculum dissolutum attingit. *Rhades*²⁹⁾ permutationem pancreatis mollitiei ventriculi similem observavit. Vesica fellea saepe multum bilis viridis continet. Glandulae meseraicae interdum tumefactae, plerumque structura normali sunt. Tunicarum laevitate, perspicuitate, mollitie, marginibus foraminis flocculis consitis, proprio parietum colore nullum odorem putridum exhalantium et aqua fervida solubilium haec tunicarum destructio

25) eod. I. p. 18. Conf. Hesse, lib. cit. pag. 178.

26) eod. I. pag. 18. 27) eod. I. pag. 20.

28) eod. I. pag. 20.

29) Drei Fälle von Magenerweichung bei Kindern in Horn's Archiv 1822. 6. p. 238.

ab ea discernitur, quam scirrus, sphacelus et venenum provocaverunt.

II. Gastrobrosis gangraenosa.

Si omnes, qui sub hac forma enumerantur, perforationis casus accuratius inspiciamus, fieri non potest, quin opinemur, saepius gastromalaciam iis fuisse ansam, quam veram gangraenam³⁰⁾. Quum vero nobis sit propositum, in universum de perforationis generibus loqui, fusius de hac re disserere non possumus. Non crebro gangraenam ventriculi perforationem adducere satis constat. Quapropter plerique etiam autores hanc differentiam omnino quidem non praetermittentes minus illustraverunt. *Gérard*³¹⁾ vero, *Richter*³²⁾, *Rauch*³³⁾, *Becker*³⁴⁾ aliquique causam perforationis ventriculi gangraenam habuere. Exempla huius perforationis retulerunt nobis *Bellot*³⁵⁾ et *Trinius*³⁶⁾. Sed quum haec differentia nobis multo minoris sit momenti symptomataque eadem sint, quae gangraena ipsa praebet, non amplius mihi dicendum esse censeo, quam margines foraminis gangrenosos conspici et partium adjacentium ruborem gangraenam praecedentem omnino probare. Tunica ipsa mucosa colore livide-rubro, subnigro odore exhalat ingratissimum. Caeterum vasorum

30) Encyclopäd. Wörterb. Artikel: Durchlöcherung, p. 579.

31) Bette, l. c. 32) l. c. 33) eod. l.

34) l. c.

35) Zartmann, l. c. p. 22.

36) eod. l.

injectiones, extravasata sanguinea etc. in conspectum veniunt³⁷⁾).

III. Gastrobrosis ex ulceribus,

Diversarum formarum, quas perforatio ventriculi potest induere, maxime annotanda videtur ea, quae ulceribus provocatur, quum non solum sit omnium frequentissima, sed etiam saepissime iis, qui nullo videbantur morbo affecti, subito mortem affert, qua propter omnes auctores quam maxime in hanc formam attendunt. Quum autem tempus mihi desit, finesque hujus opusculi fusius de ulceribus tractare nequaquam permittant, in universum tantummodo de iis loqui possum.

a) *ulcus simplex chronicum*. Hanc ulcerum formam jam a prioribus scriptoribus propositam nostro tempore *Cruveilhier* accuratius descripsit et a gangraena ex gastrite et perforatione carcinomatosa distinxit. Secundum *Cruveilhier*³⁸⁾ anatomia pathologica spontaneum substantiae defectum ex internis causis ortum nobis ostendit, quo foramen efficitur, quod plerumque rotundum, cuius margines crebro laevissimi quasi ferro rotundo excisi, in fundu coerulei et densi sunt. Semper fere unicum tantummodo hoc ulcus simplex chronicum aut curvaturam minorem aut posteriorem ventriculi parietem corripit. Interdum pylorum occupat, formamque induit zonae ovalis,

37) Encyclopäd. Wörterbuch, 1, c.

38) l. c.

Tarde modo progreditur, in planitiem se extendit, sed plerumque in profundum penetrat, et adhaesione nondum exorta ventriculus celerius tardiusve perforatus invenitur, et quae insunt materiae, in cavitatem peritonaei infunduntur. Uleus hoc simplex chronicum iisdem causis provocatur, quibus gastritis chronica. Sed mirandum est, si perexigua modo pars tunicarum ventriculi deleta reperitur, quum aliae partes omnino incolumes conserventur. Multo crebrior est gastrobroseos causa, quam carcinoma et ulcus acutum saepius etiam chronicò perforationem ventriculi adducit, quum hoc adhaesionibus plerumque sit conjunctum. Hasce formas in tabulis anatomico-pathologicis Vta et VIIa fascieuli decimi et vigesimi optime depinxit. Simili modo formatam perforationem in theatro anatomico nostro praeceptor meus aestumatissimus Schultze gratissimum fecit mihi monstrare. Cum hac sententia a Cruveilhier proposita omnes autores recentiores consentiunt. Sed causa adhuc usque nobis ignota remanet. Hope³⁹⁾ his ipsis verbis usus est: „Ueber die Entstehungsart derselben wissen wir nichts; da sie aber langsam und unvermerkt sich bilden, so können sie bloss in allgemeinen Ausdrücken einer chronischen Entzündung zugeschrieben werden.“ Abercrombie⁴⁰⁾ inter alios designat „locos exiguos accurate circumscriptos, qui excavationi magis, quam

39) I. c. p. 260.

40) I. c. p. 280. Nro. VII, 1 et p. 279. V.

exulcerationi similes sunt, et qui conspectum praebent partis tunicae mucosae excisae et exorti videntur ex inflammatione, quae exiguae tunicae mucosae partes accurate descriptas corrumpit, vel fortasse sedem primariam in glandulis muciparis tenent, et tunc partem tunicae mucosae adjacentem occupat.“ Idem⁴¹⁾ alio loco haec verba fecit: „Glandulae muciparae affectioni morbosae subditae videntur, qua vesiculae et pustulae formantur, quae in ulcera exigua, accurate circumscripta et perspicua trans-eunt, et minime morbo aliquo tunicae ipsius mucosae cohaerent. Hoc ulcus vero etiam abscessu provocari posse, satis eluet exemplis, quae profert Bette⁴²⁾: „Piso scilicet in cadavere foeminae cuiusdam, quae per longum tempus laboraverat cardialgia, observavit pus interesse inter parietes ventriculi, quod speciem praebuit abscessus;“ et „Hallerus quoque abscessus inter ventriculi parietes videbat.“ Signa autem inflammationis per longum tempus in obscuro latere posse, Abercrombie⁴³⁾ clarissime illustravit his ipsis verbis: „Wir dürfen mit Grund annehmen, dass die Schleimhaut des Magens von einer chronischen Entzündung befallen werden kann, die oft so schleichend und langsam vorschreitet, dass man die gefährliche Natur derselben nicht eher erkennt, als bis dieselbe in Ulceration übergegangen

41) eodem l. pag. 11, Nro. II.

42) l. c. p. 16.

43) Abercrombie, l. c. p. 20.

ist, oder alle Charactere einer organischen und hoffnungslosen Krankheit angenommen hat. Wir finden ferner, dass selbst eine Ulceration im Magen vorkommen kann, ohne dass dadurch sehr beunruhigende Krankheiterscheinungen erzeugt werden, bis endlich ein Anfall entsteht, der schnell tödtlich wird. " Haec vero ulcera veram esse posse perforationis causam, nemo inficiabitur, si modo perpenditur, persaepe ulcera in ventriculo inveniri, quae usque ad tunicam serosam omnes ventriculi membranas eroserint, unde eluet, perforationem esse provocatam, si aegrotus diutius vivens ab affectione quadam sit affectus, quam conquassatio ventriculi sit secuta vel ulcerus ipsum longius propagaverit. Perforatio ipsa, ut *Cruveilhier*⁴⁴⁾ ait, ulcere crecente effici potest, antequam concretiones salubres extiterint, tum post cicatrisationem; praeterea nova etiam exulceratione, quae vel in ipso cicatricis loco, vel in ambitu ejus se formaverit, aut extensione impedita provocari potest, dum ventriculus aëre aut alimento vel vomitu vehementi extenditur. *Ebermaier*⁴⁵⁾, videri, dicit, in eo casu, quem descripserrat, mortem fuisse adductam ruptura exiguae partis ventriculi, quae gastromalacia nondum erat destructa, quae ruptura pronam corporis flexionem insecuta

44) Cruveilhier, l. c.

45) Ueber die Krankheit des Magens, welche regelmässige Durchlöcherung seiner nicht erweichten Häute herbeiführt. *Rust's Magaz.* Bd. XXVI. Hft. I.

sit. *Becker*⁴⁶⁾ percussione, tussi, sternutatione, vehementi corporis motu etc. ventriculum rumpi et perforationem produci censem. *Abercrombie*⁴⁷⁾ sententiam suam hoc modo exhibit: „Ulcus substantiam inspissatam penetrare videtur, et in marginibus cicatrices obduxisse, efficiens scilicet cavum rotundum, accurate circumscriptum, planis parietibus et marginibus, quorum fundus a peritonaeo formatur. Laevibus marginibus cavi, quod in hoc casu evenit, concludere licet, morbum diutius duravisse, et mors tunc adduci videtur, quum tenue peritonaeum subito rumpatur.“ *Albers*⁴⁸⁾ dolores vehementes spasmodicos perforationem adducere posse censem. Praeceptor meus aestumatissimus *Schultze* in collectione propria ventriculum conservat puellae, ex morbillis subito repulsis mortuae, in quo ulcuseulum juxta pylorum membranam mucosam destruxit, et in arcu minori locus inflammatus cernitur, furunculo incipienti similis, ita ut exanthematis repulsio hancce exulcerationem produxisse videatur. Talia exempla, quibus non solum existentia horum ulcerum, sed etiam perforatio iis exorta narratur, *Lesser*⁴⁹⁾ citavit, et quidem: *Bonnet*, *Morgagni*, *Merklin*, *Courtial*, *Car-michael*, *Shmyth*, *Geoffroy*, *Whytt*, *Camerarius*, *Baillie*, *Jack Moore*, *Gérard*, *Eduard Mole*, *Char-del*, *John Crampton*, *Benjamin Travers*, *George Johnson*, *Gideon Mautell*, *Burton*, *Browne*, *Des-*

46) cod. l. p. 18.

47) Abercrombie, [p. 20.

48) l. c. p. 479.

49) l. c. p. 218. sqq.

granges, Rehmann et Rauch, Trinius, Richter, John Abercrombie, Elliotson, Griffiths, Becker aliique.

b) Ulcus scrophulosum.

Non solum in pulmonibus aliisque organis tuberculata inveniri, sed etiam in tractu alimentario, experientia satis edocti scimus, plurimaeque cadaverum sectiones omnino extra dubitationem posuere, quamvis *Andral*⁵⁰⁾ et *Louis*⁵¹⁾, se nunquam in tunica tractus alimentarii mucosa tubercula invenisse, contendant. *Abercrombie*⁵²⁾ vero contrariam exhibet sententiam, scilicet tunicam mucosam saepe tuberculitis esse affectam. Idem⁵³⁾ alio loco dieit; „tota tunicae (scilicet serosae) superficies innumeris consita est tuberculitis, quae plerumque perparva et quoad consistentiam dura sunt. In membranam propriam inclusa videntur, eandemque prae se ferunt speciem, quam tubercula in aliis organis praebent.“ *Albers*⁵⁴⁾ ulcera intestinalium tuberculosa quam accuratissime descripsit. *Billiard*⁵⁵⁾, postquam duos casus descripsit, hacc verba addit: „Meiner Meinung nach waren die in beiden Individuen vorhandenen Geschwüre der Schleimhaut das Resultat einer Erweichung tuberkulöser, in den Wandungen des Darmkanals inkrustirter Materie.“ *Abercrom-*

50) Aibers, I. c. pag. 418.

51) eod. 1.

52) I. c. pag. 11, Nro. III.

53) eod. 1. pag. 4, Nro. II.

54) I. c. p. 403, Nro. 3.

55) I. c. p. 328.

bie⁵⁶⁾) margines foraminis ipsos tuberculis insitos reperit. Frequentissime haec tubacula simul in pulmonibus adesse, nemo dubitare potest, qnamvis tumescentiae solitariae quoque inveniantur, ita ut una tantummodo glandula tumefacta conspiciatur. *Hope*⁵⁷⁾ de hac re ita disserit: „Sehr selten zeigen sich Tuberkel bei Erwachsenen in andern Organen, ohne gleichzeitig auch in den Lungen vorzukommen.“ Hunc vero morbum tuberculosum quam intime cohaerere cum statu scrophuloso, saepeque in decursu phthiseos pulmonum tuberclosae inveniri, nemo est, qui neget. Ut iterum adhibeam verba, quae *Hope*⁵⁸⁾, quum de glandularum inflammatione specifica locutus sit, fecit: „Diese ist fast beständig chronisch und pflegt in Verbindung mit Skropheln, Tuberkelphthisis oder den Krankheiten der Drüsen überhaupt vorzukommen. Die krankhaften Schleimdrüsen zeigen hier dieselben Charaktere in Bezug auf Form, Grösse und Lage, als in der einfachen Entzündung, nur unterscheiden sie sich in Ansehung der Farbe und Consistenz bedeutend, indem sie sehr weiss und bei der Berührung beträchtlich hart sich zeigen; sie haben ferner eine glatte Schnittfläche und lassen wenig oder gar keine Flüssigkeit ausfließen, wenn man sie einschneidet oder zusammdrückt. Wenn sie sehr gross sind, so ist zuweilen die Schnittfläche in ihrem Umfange dem

56) pag. 59.

57) l. c. p. 41.

58) eod. l. p. 239.

Specke und in ihrer Mitte dem Kitte ähnlich. In anderen Fällen jedoch ist die Mitte derselben mehr flüssig, als kittartig. Die Metamorphosen, welche sie durchlaufen, sind, kurz gesagt, denen des Tuberkels sehr analog: daher wohl nur wenig daran zu zweifeln ist, dass die Ablagerung nicht tuberkulöser Art sein sollte. Die Krankheit ist mehr Kindern als Erwachsenen eigen.. Sie befällt unter jenen besonders solche, welche bei skrophulöser Anlage unzweckmässig gekleidet und genährt werden. — Auch pflegt bei dieser Krankheit eine ähnliche Affection der mesenterischen Drüsen einzutreten.“ Hanc sententiam in scriptis autorum recentium probatam invenies, eandemque opinionem praceptor meus illustrissimus *Berndt* mecum communicavit. Ut vero omnia alia praetermittam, modo de transitu tuberculorum in stadium exuleerationis haec adjiciam. Si tubercula in stadium mollitiei transennt, plerumque initium capitur ex eorum centro, unde magis in peripheriam progreditur. Multi inflammationem tuberculi, multi singularem processus morbi mutationem mollitiei causam incusat. Pure vero inde congenito totum tuberculum, aut, si quae adest massa tuberculorum in unum congregatorum, dissolvitur ulcusque in conspectum venit: quod propagari omnesque membranas erodere posse, quam certissimum est. Sed quid longius? Ut nobis persuasum habeamus, perforationem hanc exuleerationis formam vere esse secutam, modo inspiciamus

necesse est exemplum, quod *Legallois*⁵⁹⁾ descripsit. Recentes autores idem opinantur. *Zartmann*⁶⁰⁾ hisce ipsius verbis usus est: „Perforatio tuberculis exorta non semper cognitionem nostram fugit, praesertim si aegrotus diathesi scrophulosae obnoxius est. Praeceptor meus aestumat. , *Berndt*, quoque se pluries in aegrotis, qui statu scrophuloso laboraverint, invenisse perforationem ventriculi tuberculis provocatam contendit. Tale ulcerus in collectione anatomica Friburgensi conservatum praecceptor *Ill. Schultze* delineari curavit, in quo arteria coron. ventr. sin. plures lineas ulceris marginem excessit, lumineque clauso in cavum ventriculi porrecta est.

c) Ulcus carcinomatosum.

Quum huc non pertinere censem, de natura symptomatisque hujus morbi organici fusius disserere, modo id propositum habeam demonstrare, perforationem ventriculi hac causa oriri posse. Haec ulcera carcinomatosa in ventriculo adesse posse, saepius cadaverum sectionibus quisque edoctus est. Quod autem attinet ad frequentiam carcinomatis ventriculi, morbus est sporadicus, quamvis alibi terrarum aliae formae saepius inveniuntur, ita ut fere morbus endemicus appareat, sicuti in hisce regionibus, ubi carcinoma ventriculi saepissime observatur, cuius praeparata plurima in museo anatomico Universitatis nostrae conservantur. Sedem haec ulcera

59) Billard, 1. c. p. 328.

60) 1. c. p. 24.

ventriculi carcinomatosa imprimis in regione pylori tenere, jam *Morgagni*⁶¹⁾ exhibet, et *Wilson, Philip*⁶²⁾ haec argumenta proposuit. Apparere dicit, inter varias ventriculi partes pylorum imprimis esse obnoxium; idemque alio loco⁶³⁾: „quum pylorus, inquit, multo saepius causis noxiis corripiatur, verosimile etiam est, eum multo saepius; quam aliam ventriculi partem morbis organicis corripui. Cardiam vero quoque omettemque ventriculi partem hujus morbi sedem non raram esse, mentio fiat necesse est. Ut brevibus carcinomatis naturam attingam, *Otto*⁶⁴⁾ de ea hoc modo disserit. Est morbus quidam, qui ex dispositione universali vel hereditaria exortus eos imprimis corripere solet, qui aetate magis provecti sunt, et originem dicit ex scirro, id est nucleo quodam solito modo singulari, qui duritie, frigore, facultate sentiendi sublata, colore albo et gravitate insignis, vasis sanguiferis plus minusve carens hacc prae se fert signa characteristicæ, magnam filamentorum fibrosorum vel fibrocartilagineorum copiam, quae aut ex centro radiatim ad peripheriam expanduntur, aut irregulari modo ericiatim secantur et singula singulis superjacent atque inter se continent majorem vel minorem copiam humoris inorganici, (vita scilicet minus praediti), gelatinosi, albuminosi vel semigelati, plerumque pellucidi et clari, interdum

61) l. c. XXIX. 16.

62) l. c. p. 420.

63) eod. l. p. 122.

64) Otto, l. c. p. 70.

vero turbidi et flavi vel subfuscii. Hic vero scirrus cum tempore irritationis inflammatoria corripitur, qua dissolvitur, plerumque ex centro in statum mollitiei transit, formamque gibbi induit, et telam adjacentem inficit, coquendo saepe permagnus fit. Interdum et tunc singulas capsulas maiores lympha impletas continens paucas tantummodo arterias, in ambitu vero multis venas maiores et varicosas suscipit, adipisque magna massa densi et flavi circumdatus intrinsecus loca praebet ulceribus insita. — Ubi vero tunica mucosa corrugata coaluit cum tumore, nodulisque inserta discolor facta est et quidem saepe coeruleo-rubra vel livida, tandem magnam lymphae copiam effundens aperitur. Quo facto ulcus malignum margine funduque duris ichorem male et specifice olentem et causticum seccernens margines ostendit circumvolatos et dentatos partesque vicinas magis in ambitum, quam in profundum propagans devastat saepeque sanguinem excrescentem, haemorrhagiae inclinantem atque secernentem ichorem protrudit. Quod attinet autem ad perforationem ulcus carcinomatous sequentem, plerumque tunc primum in conspectum prodire solet, quum inflammatione exorta partes vicinae cum ventriculo sint concretae.

Perforatio ipsa, sicuti in alia perforationis causa, conquassatione exempli gratia inter vomendum exoriri potest, et ipsa erosione, quod crebrius evenire solet. Foramen hoc modo exortum perparvum tantummodo saepe invenitur rotundum. Margines prominentes, duri, dentati, inaequales et ex-

erescentiis fungiformibus obsiti sunt. Carcinoma ipsum fundum praebet durum, inaequalem, granulosum, dissectum, discolorem, sanguinis coagulo saepe insitum ⁶⁵⁾. In ambitu membranae plus minusve mutatione correptae reperiuntur, densatae, inflammatiae atque mollefactae. Nervos quoque Réné Prus ⁶⁶⁾ densatos invenit. Saepius vero vasa quoque corrosa inflammationeque conclusa, interdum vero, ut in museo anatomico praeparatum conservat praceptor meus illustrissimus Schultze, vasa lineas complures in ipsum foraminis cavum prominent. — Enumerare velle omnia exempla perforationis carcinomatæ exortæ longius videatur, qua propter libros a Morgagni ⁶⁷⁾, Abercrombie ⁶⁸⁾, Naumann ⁶⁹⁾ conscriptos et Dictionnaire des sciences médicales conferre velis. Unum tantummodo exemplum proferre licet, quod Antonmarchi ⁷⁰⁾ in sectione Napoleonis repertum contendit: Totus fere ventriculus præcipue in regione pylori scirrhosus, hic et illic carcinatosus inveniebatur. Superficies ventriculi superior cum lobulo hepatis sinistro firme erat concreta; eodemque loco unum circiter pollicem a pyloro remoto ventriculus ulcere in circuitu digiti minimi perforatus conspiciebatur. Superior modo et perparva hujus organi pars ad oesophagum sita sana erat.

55) Encyclopäd. Wörterbuch.

66) I. c.

67) I. c.

68) I. c.

69) I. c.

70) eod. I. p. 533.

Quod attinet ad gastrobrosin, quae verminosa appellatur, nullus opusculi locus aptus mihi visus est, quo de hoc themate aliquot proferam verba. Multi enim autores sententiam exhibent, vermibus perforationem adduci posse, licet hisce animalibus omnia desint organa, quibus membranas ventriculi possint erodere. *Lancisius*⁷¹⁾ jam, in intestinis, dixit, vulnera esse reperta vermium morsu exorta; imo aliquot eorum intestina perrosissee. *Voigtel*⁷²⁾ interdum tunicas tractus alimentarii vermibus perforari contendit, multaque attulit exempla gastrobroscos verminosae ab hisce viris observata: *Paraei*, *Forest*, *Holler*, *Solenander*, *Schulze*, *Haesbaert*, *Tulpe*, *Garmann*, *M. Laggau*, *Schmucker*, *Sömmering*, *Fischer*, *Osiander*, *Gyser*, *Thom*, *Thomas a Veiga*, *Schenk*, *Christian Vater*, *Harder*, *Kniphoff*, *Ludwig*, *Bordenave*, *van Döveren*, *Sandifort* aliorumque scripta allegans, et si numerum eorum velis augere, modo inspicias *Dictionnaire des sciences médicales*, ubi eadem de gastrobrosi verminosa exhibetur sententia hisce ipsis verbis: „Des observations nombreuses et authentiques établissent la fréquence des perforations de l'estomac et des intestins par les vers lombries.“ *Baillie*⁷³⁾ in ventriculi foramine ascarin lumbricalem invenit, quod etiam praeceptori meo illustrissimo *Berndt* evenit. Atta-

71) Lesser, I. c. pag. 49.

72) I. c. pag. 579 etc.

73) Naumann, I. c. pag. 449.

men opinionem jam a *Becker* constitutam sequamur necesse videtur, imprimis quum *Kämpf*⁷⁴⁾ et *Rudolphi*⁷⁵⁾ ascarides lumbricoides irrodere et perrodere non posse satis demonstravere. Et ut *Albers*⁷⁶⁾ audiamus, haec est sententia ejus, num vermes tractum intestinalem perrodere possint, valde esse dubitandum. Recentiori tempore tales casus non esse observatos; ulcera vero intestinalium et transmutationes glandularum Peyerianarum persaepe cum vermis coniuncta perforationem adducere posse, forsitanque has fuisse conditiones, quae perforationem adduxerint, cuius originem *Stoll* ex vermis derivet. Ut igitur brevibus exponam sententiam, vermes saepius inflammationem adducere, indeque exulcerationem et perforationem oriri posse negari nequit. Et quum foramine exerto vermes in abdome inveniantur, id modo sequitur, vermes per ipsum foramen irrepsisse in cavum abdominis.

Historia morbi.

Dorothea Kolberg, ancilla, septemdecim annos nata, quoad experiri potui, semper sana fuit, exceptis ventriculi doloribus, de quibus interdum querelas fecit. Nullum aliud morbi aliquius umquam adfuisse vestigium hera contendit. Vicesima secunda

74) Lesser, l. c. pag. 49.

75) Historia entozoorum. Vol. pag. 430.

76) l. c. pag. 497.

Novembris die refrigerio verosimile affecta postridie de doloribus in regione epigastrica vehementibus questa est. Qui autem dolores quum non cessarent, piper non contusum ei porrectum est in spiritu frumenti, quod vomitu vero eiecit. Sub vesperam dolores vehementiores sunt facti, sed periodice modo repetiti. Sitis erat vehementissima, quae aqua frigida magna in copia sumta sedari non poterat. Quum alvum solvere vellet aegrota, rigore affecta visa est. Aliquot post horis statum morbi multo meliorem esse factum aegrota confirmavit. Per noctem autem eam semper ingemuisse altera ancilla, quae in eodem conclavi lecto incubuerat, edixit. Postridie hora matutina mortua reperta est in lecto.

Sectio cadaveris in theatro anatomico ab **Ill: Schultze** instituta.

Cadaver rigore erat affectum; facies collapsa et pallida; labia coerulea, maculaeque solitae in latere sinistro cum pectore tum extremitatibus et superioribus et inferioribus in conspectum veniebant. Maxillae erant omnino conclusae; sed contractionis spasticae extremitatum nullum aderat vestigium. Abdomen valde erat expansum, caeterum nullam monstrabat affectionem. Totum corpus optime nutritum paniculum habebat adiposum in pectore et ab domine pollicis crassitatem fere aequantem.

Cavum capitis. Venae cerebri sanguine subnigro infarctae valdeque erant extensae. Cerebrum ipsum quoad consistentiam multo mollius inveniebatur.

Cavum pectoris. Incisione huius eavi facta pulmones sanguine repleti, saccus pleurae dexter fere duas libras, sinister unam circiter libram seri subrubri continens et vasorum ex arcu aortae progradientium ortus abnormis, arteria carotide dextra in sinistro latere subclaviae sinistrae ex arcu propulsante, reperta sunt.

Cavum abdominis. Incisione peritonaei facta magna copia aëris foetidi prorupit. Tunc liquor flavus et turbidus magna in copia conspiciebatur, qui commixtus erat bili et cibis nondum in chymum plane mutatis. Peritonacum multis in locis levi rubore erat suffusum, imprimis in inferiore diaphragmatis pariete et in regione iliae sinistra, qua quidem fibrini exsudati lamina dimidiata lineae partem crassa in lucem prodibat. In tunicae diaphragmatis serosae inferiore parte membrana pseudo-plastica inflammationem erat secuta, quae fere quartam lineae partem crassa digito facillime deteri poterat. Membrana intestinalis serosa flocculis parvis insita erat; caeterum intestina sana videbantur. Glandulae mesentericae solito rubriores et paululum tantummodo erant tumefactae. In pelvi nil, quod a norma abhorreret, repertum est, praeter ovaria ruberrima et in ovario dextro corpus luteum recens. Hepate sublato in anteriore ventriculi pariete inter pylorum et cardiam haud procul a curvatura minore foramen rotundum apparebat, cuius diameter fere tertiam pollicis partem adaequabat. Margines laeves, non dentati. Investigando internam ventriculi super-

ficiem primum vestigia clare apparebant bilis immisae. Superficies interior in ambitu foraminis defectum praebebat tunicae mucosae, cuius diameter erat dimidia digiti partis, defectum tunicae muscularis et cellulosae minorem se ostendebat. Foramen igitur conspectum praebebat infundibuli, cuitus apertura maior versus interiorem, minor versus exteriorem ventriculi partem extendebatur. Margines foraminis in circuitu pollicum duorum callosi inveniebantur, sed durities non circumscripta, e contrario paulatim in sanam ventriculi partem transibat. Praeterea in ventriculo complures reperiebantur globuli perparvi piperis particulae secundum anamnesin habendi. Glandulae ventriculi muciparae omnes praecipue in regione pylori insolito modo erant evolutae. Tribus in locis vestigia inflammationis praecedentis exstabant.

V I T A.

Ego, *Johannes Bernardus Hölker*, natus sum Telgeti, oppido haud procul a Monasterio sito, secunda Augusti die anni MDCCCXV, patre *Bernardo*, matreque *Anna Maria de gente Hurck*, quos superstites quam maxime gaudeo, fidemque confiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium petii, quod Monasterii Directore celeberrimo *Nadermann* floret, ibique testimonio maturitatis instructus inter cives academicos me recepit Ill. *Esser*, tunc temporis Rector magnificus. His lectionibus interfui:

Ill. *Esser*, de Psychologia, Logice et Hodegetice.

Ill. *Roling* de Physice experimentali et Astronomia.

Ill. *Winiewsky*, de Antigone.

Ill. *Gudermann*, de Mathematice.

Cel. *Schmedding*, de Chemia et de Electro-Chemia et Galvanismo.

Cel. *Becks*, de Zoologia, Mineralogia, Anatomia comparata nec non de Botanice, qui etiam mihi dux exstitit in excursionibus.

Interim vero in institutum Reg. medico chirurgicum receptus hosce praceptorum de rebus medicis disserentes audivi.

Ill. *Tourtual*, de Anatomia generali et speciali, et de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. *Haindorf*, de Physiologia.

Cel. *Wirtensohn*, de Pathologia et Therapia generali.

Cel. *Riefenstahl*, repetitionibus de rebus medicis interfui.

Autumno vero MDCCCXXXVIII in universitatem, quae hic Gryphiae floret, me contuli et inter cives academicos me recepit Ill. *Kosegarten*, tunc temporis Rector Magnificus nomenque professus sum apud Ill. *Berndt*, ord. med. Decanum tunc Spectatissimum.

Lectiones, quas audivi, hae sunt:

Ill. *Tillberg*, de Physice theoretica et experimentali.

Ill. *Schultze*, de Physiologia, Anatomia pathologica, qui etiam mihi dux erat in arte cadavera rite dissecandi.

Ill. *Berndt*, de Therapia generali, de arte obstetricia, de Pathologia et Therapia speciali, de morbis nervorum et psychicis, qui mihi etiam dux erat in clinico medico et obstetricio.

Ill. *Seifert*, de Materia medica, Semiotice, de arte formulas medicaminum rite concinnandi et arte fascias rite alligandi, et de Medicina forensi.

Cel. *Kneip*, de Chirurgia generali et speciali, de ossium fracturis et luxationibus, de Akiurgia, de Ophthalmiatrico, quem etiam in operationibus in cadaveribus institutis et in clinico chirurgico et ophthalmiatrico secutus sum.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias ago quam maximas eorumque semper memoriam retinebo.

Tentamine philosophico neque minus tentamine et examine rigoroso medico feliciter superatis spero, fore, ut dissertatione thesibusque defensis summis in Medicina, Chirurgia et Arte obstetricia orner honoribus.

THESES DEFENDENDAE.**I.**

Imaginatio matris ad conformatiōnem foetus multum valet.

II.

Extractionem cataractae caeteris curandi methodis praferendam censeo.

III.

Hydrargyrum remedium non proprie antisyphiliticum, sed generalim antidyscrasicum.

IV.

In delirio tremente opium remedium est efficissimum.

V.

Sectio caesarea perforationi foetus est anteponenda.
